

τὰ ἔργα hic denotare B. O., asserere non verentur, ut modo quid habeant, quo suam hypothesein: mortuos in purgatorio B. O. sublevari, quod eorum opera sequantur eos, pallient. Et quod opera ex dignitate & merito profluant, quod tamen nunquam hinc exculpent Papistæ. Nos autem iis rectius adjicimus calculum, qui literæ sine tali fuce inhaerent, siquidem verba per se clara sunt, & ejusmodi loquendi formulæ alibi occurrunt, utpote Act. X. 4. ubi eodem termè sensu de Cornelio legimus, eius orationes & eleemosynas ascendisse in memoriam coram Deo. Adjici huc etiam meretur Apoc. XIX. 5. Ita opera hic memorata non alia sunt, quam ipsa, quæ in hac vitâ peregerunt, illaque tanquam fidei, pietatisque testimonia etiam in cœlo permanent. Non refragabimur tamen, si mediatè & consequenter simul cum D. Calovio opera confessionis & celebrationis nominis divini, sanctitatis item & justitiæ DEI; vel cum B. Gerbaro, merces gratuita operum, vel cum Cluvero, ipsa operum continuatio involvatur.

§. XII. Atque sic tandem opera in hoc mundo exercita, tanquam pietatis fideique signa, in Christo obdormientes comitari & sequi, Spiritus fatetur, quando verba ultima dictum nostrum ita finiunt: ἀκολουθεῖτε μετ' αὐτῶν, sequuntur cum iis. De verbo ἀκολουθεῖν ejusque constructione μετ' αὐτῶν certant inter se Critici. Nobis brevitatis studio verbum ἀκολουθεῖν per: sequi, transfertur, nec emphasin in Præpositione μετ' quaerimus; cum communiter verbum vel cum Dativo vel cum Genitivo additâ particulâ μετ', ἢ ὀπίσω, construatur, ne quidem locò Matth. X. 38. exceptò, in quò Vorstius Hebraïsmum reperiri statuit, quem verò refellit Vitringa in Animadv. ad Vorst. p. 247. Conf. Luc. IX. 49. Apoc. VI. 8. & loca alia. Grotius perperam verbum ἀκολουθεῖν sæpè Accusativum sine præpositione adsciscere, interdum præpos. ὀπίσω subnexâ, pronunciat, ut e. gr. 1 Reg. XIX. 20. Et XLV. 14. Ezech. XXI. 16. Cum notante Markio, cum Accusativo nunquam inveniatur. Curiosior in verbi ἀκολουθεῖν interpretatione fuit Gatakerus, cum perquam operosè comitantiam præ: sequela urget. Cautus, descendere ab α abbreviato, ex ἄμα & κέλευθον, Via. Verùm, cum comitari & sequi aut unum aut parum diversum habeant significatum, & comites à tergo necessariò sequantur, supervacua subtilitas illa videri queat. In constructione μετ' Mulerus magnum latere momentum existimat, ut præmii cœlestis donationem presentaneam, absq; ulla in diem aliquam futuram comperendinatione indicet, repræsentetque adeò cum ipsis nexum immediatum atque indivulsum.